Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 85
Quelle:
Copyright:

cerdos filius ſuozmundi, quod *Bavariae* Oppidum *Auguſta* non procul abeſt, et 5. *Jul. Mechthildis fundatrix*, quae quodnam Coenobium fundaverit, difficile eſt diſpicere; Codex enim et Virorum et Mulierum fuit, ut multa marginibus et latina et vernacula lingua adlita fidem faciunt. Praecipue manus eſt Mulieris, quae ad plurimos Pſalmos, qua opportunitate dicendi ſint, adnotavit. Ita v. g. *fol.* 39. ad Pſalm. *Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit* &c. legas: *Diſen ſalm ſprich ravbærn vnt lvgnærn vnt ſpottærn daz ſi got wecher. Fol.* 43. p. 2. ad Pſalm. *Te decet hymnus* &c. ſic: *Diſen ſalm ſprich ze perthnæhten an dem zweiſten tage dem ebigen liehte* &c. ubi τὸ *Perthnæhten* non Vigiliam Epiphaniae, ut amico olim *Pilgramio* in *Calend. Chronol.* p. 180. viſum, ſed totam ejus Octavam ob additum *an dem zweiſten tage* deſignat. In Litaniis, quod peculiare, *Tertulinus* Mart. *Hredrudis* Virgo invocantur, e quorum contentiore indagatione, ſi operae pretium foret, fortaſſe quis ad primos hujus Pſalterii Poſſeſſores devenire poſſit.

LXI.

R. 3108 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 242. 4. columnis tribus nitidiſſime exaratus, coloribus ſpecioſus, multis initiorum Literis, et praecipue prima B, eleganter deauratis, ita ſervatus, ut nuper ſcriptus videri poſſit, et olim *Monaſterij ſancti Johannis in Seytz ord. Cartuſienſis*, quod fuit in inferiore *Styria*, *Pſalterium Davidis* eſt lineis laxis intercepta *Gloſſa* dicta *lineari*, et *ordinaria* utrumque latus ſtipante. Accedunt ſub finem *Cantica Biblica* et *Fides Athanaſii* dicta, nec ipſa expers Gloſſae, quae ita orditur: *Hic beatus athanaſius liberum arbitrium poſuit* (nempe *Quicunque vult* &c.) *ſicut dicitur in pſalmo. Quis eſt homo, qui vult vitam. et in euangelio. qui uult uenire poſt me* &c. Dolendum, e tam illuſtri τῆς Καλλιγραφίας Monumento Folium, quo *Pſalmus* LI. continebatur, excidiſſe usque ad verba: *tate ſua. Ego autem ſicut oliua fructifera* &c.

LXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 522 XIV. Folior. nunc 114. 8. eleganter exaratus, literis initiorum floridis et picturatis *Pſalterium Davidicum* eſt, Officio Chori adcommodatum, praeeunte *Kalendario*, e quo nihil divinare eſt. Pſalmi vulgatae Verſionis nullis numeris inſigniuntur. Duo gloſſis germanicis illuſtrati ſunt, videlicet Sextus: *Domine ne in furore tuo* &c. et Triceſimus ſextus: *Noli aemulari* &c. Ad illum *fol.* 9. notantur: corripias *zuchtigen.* turbata *erzittert.* eripe *lozz.* gemitu *ſeuften.* inueteraui *eraltent.* diſcedite *entweicht.* deprecationem *vlehen.* erubeſcant *ſchamrot.* vehementer *vaſt.* convertantur *bechert.* Ad hunc *fol.* 24. Noli aemulari &c. *Nit hab neid vber dy vblen.* neque zelaveris *nit zürn.* areſcent *dornt.*